

1. Vapor & fumus qui in libero aere sursum feruntur in vacuo deprimuntur: quo ipso ad oculum ostenditur ætherem etiam gravitatis & depressionis corporum ad terram causam existere.

2. Globus vitreus ex quo aer fuit evacuatus, minus ponderat, quam si aere præsertim condensato repletus est.

3. In globo vitreo pisis & aqua repleto atq; probe cera occluso, aliud est pondus elapsis 8 diebus quam erat ab initio, nempe gravius.

4. Corpus mortuum minus ponderat corpore vivo, quod in ave experiri licet, bilanx autem debet esse accuratissima.

5. Vitrum exile certo fluido colorato repletum & in æquilibrio aquarum consistens in aqua calida descendit, in frigida ascendit, vel tantum paucissimis guttulis aquæ per compressionem vitro accedentibus vel decedentibus, modo fundum petit, modo superiora.

6. Particulæ igneæ corporibus certis etiam addunt pondus; ita plumbum in minium redactum, stannum in cineres, capellæ ignitæ, lythargyrium recenter paratum plus ponderant quam si frigefacta fuerint & in aere diu steterint.

7. Tubulus vitreus inditus alio tubulo capaciorem, qui continet argentum vivum, affuso spiritu vini in hunc tubulum, qui respectu mercurii est longe levior, hic argentum vivum urgebit in ipsum tubulum ut ascendat.

8. Aqua, quæ gravior est oleo, ab hoc sursum tenebitur si canalis vitreus aqua repletus oleo immittatur in vitro oblongiori contento.

9. Scyphus vitreus aqua repletus inverti potest in medio aere, ita ut ne guttula aquæ cadat in terram, levi accedente encheiresi.